



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. An Circumstantiæ Aggravantes sint necessariò aperiendæ in
Confessione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

declarat, obligationem poenitentis his verbis. [Ex his colligitur, oportere poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recensere.] Et inferius. [Sed & impium est, Confessionem quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare; constat enim nihil aliud in Ecclesia à poenitentibus exigì, quàm ut post, quam quisque diligentius se excusserit, & conscientia suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit:] Jam sic. Peccatorum dubiorum nec est conscientia, propriè loquendo, nec memoria. rectè enim & cum veritate quis de illis dicere potest, se eorum non meminisse, non habere conscientiam: nam meminisse, & habere conscientiam, non sonant primam apprehensionem aliquam non suavisimam, nec meram suspensionem, sed significant Judicium, saltè reflexum de probabilitate rei, & quodd ad sint fundamenta propter quæ quis posset prudenter opinari aut scire. Atqui talia non adsunt quoad peccata dubia: ergo eorum non habetur conscientia, nec eorum meminimus: atqui juxta Tridentinum solum obligamur ad confitenda, quorum conscientiam habemus, & quorum meminimus: ergo non datur obligatio confitendi dubia.

Confirmatur. Si Conscientia hic acciperetur prout abstrahit à dubia & certa, completeretur etiam dubiam positivè, quia nulla sit hujus exceptio in Tridentino, vel si fit exceptio fit per illa verba recensita. Atqui si conscientia dubia positivè non comprehenditur per vocem Conscientiam, & Meminisse, multò minùs comprehenduntur peccata dubia negativè, ut manifestum est, quia magis accedunt ad ignorantiam: ergo Conscientia non accipitur ut Genus ad Conscientiam certam & dubiam, sed accipitur pro specie Conscientia certæ, non quidem evidentis, sed moraliter certæ, hoc est, quod ita probabile est, ut pro innocentia nulla stet probabilitas.

Ad hoc argumentum respondet P. Mendo, Tridentinum definivisse id quod certum erat, nempe peccata certa esse necessariò confitenda, cetera verò reliquisse disputationi Theologorum. Verùm non capio vim hujus responsionis. Si enim Concilium solum id definivit, quod certum est, nempe peccata certa esse necessariò confitenda, quid ergo, quæso, significant illa verba: constat ergo nihil aliud exigì? &c. si nihil aliud exigitur: quomodo ergo relinquatur disputationi Theologorum, quod aliquid aliud exigatur? Deinde: si Tridentinum reliquit hoc disputationi Theologorum, quomodo ergo verum est, quod continua Praxis & consensus DD. stet pro sententia obligante, & quod hoc sit signum veritatis & doctrinæ ab Apostolis per traditionem acceptæ? Hæc mihi conciliatæ difficultas sunt.

1010. Secundum, argumentum & meo iudicio optimum est negativum. Nulla obligatio, præsertim gravis, est imponenda fidelibus, quæ nullâ efficaci ratione probatur, sed obligatio confitendi dubia peccata non probatur, ut latius videtur patere ex solutionibus adhibitis: ergo non est fidelibus imponenda. Omitto alia argumenta quæ affert P. Antonius à Spiritu S. & P. Mendo, quia puto recipere claram solutionem.

Post hæc scripta occurrit mihi alia probatio, quodd peccata negativè dubia reverà & Theologicè ac etiam Canonisticè loquendo, non sint in conscientia nostra. In cap. fin. de Præscript. dicitur. Oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienam. sublimo, atqui præscriptioni non obstat, si post eam bona fide captam, superveniat dubium etiam negativum de re an sit aliena: ergo habens tale dubium non habet conscientiam rei alienæ: ergo pari modo qui dubitat, an peccaverit, non habet conscientiam rei alienæ.

CONTROVERSIA II.

An Circumstantia aggravantes sint necessariò aperiende in Confessione.

1011. Sciendum est 1. tam in actu bono quàm in malo aliqua prædicata dici esse de substantia actûs, seu pertinere ad substantiam actûs, alia verò dici Circumstantias; & licet hæc prædicata aliud non sint quàm formalitates, seu formaliter distincta prædicata, vocatur tamen unum respectu aliorum quasi substantia respectu accidentium; quia sicut Substantia est radix accidentium, & præsupponitur ad illa cum aliqua prioritate, ita etiam secundum modum concipiendi, unum prædicatum est quasi prius logicè seu prioritate rationis, vel prioritate secundum subsistenti consequentiam: v.g. si volo occidere Patrem meum, homicidium est prædicatum pertinens ad substantiam actûs, Parricidium verò dicitur circumstantia, quia secundum conceptum nostrum parricidium includit & supponit homicidium, sed non econtra. Potest verò contingere, ut in eodem indivisibili actu sint duo prædicata substantia, eod quod neutrum habeat ullam prioritatem ad alterum, quod alibi ostendam, sed hoc nihil facit.

Sciendum est 2. Circumstantias dividi in illas quæ mutant speciem peccati, & illas quæ intra eandem speciem aggravant; hæc etiam prædicant per oppositionem illa circumstantia, quæ diminuunt seu alleviant peccatum. Quod attinet ad circumstantias primi generis, non pertinet ad hunc locum, sed in secundo libro tractabitur regulam cognoscendi differentias specietas peccatorum, & quandonam numero multiplicentur. Ad Circumstantias aggravantes pertinet augmentum numeri, quantitatis, intentionis, durationis, advertentiæ majoris. Ad diminuentes, v.g. vehementia tentationis, metus ab alio incussus etc.

Supponitur

Supponendum est 3. ex Tridentino constare, quod sint explicandæ circumstantiæ speciem mutantes, item numerum peccatorum. Ratio est, quia aliquin non omnia peccata dicerentur; nam quando circumstantia mutat speciem, hoc ipso sunt duæ species in illo peccato, esto realiter identificentur: item si quis tantum confiteretur duas fornicationes, cum tamen ter fuerit fornicatus, vnum peccatum taceretur.

1012. Restat ergo Controversia de Circumstantiis notabiliter aggravantibus, an illæ sint à penitente manifestandæ, etiam non expectatâ interrogatione Confessarij, v.g. qui furatus est mille, an debeat dicere: furatus sum mille: vel sufficiat dicere: furatus sum summam gravem, sufficientem ad mortale.

Prima Sententia affirmat esse manifestandas circumstantias notabiliter aggravantes. Itâ post aliquos antiquos Cajetanus, Dom. Sotus Suarez Henric. Fagundez, Th. Sanchez, Conink, Tanner, Arriaga.

Secunda negat. Itâ S. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. in respons. ad 5. quest. ubi sic loquitur. [Quidam dicunt, quod omnes circumstantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis est, si memoria occurrant. Alij vero dicunt, quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius est.] S. Thomam sequuntur plurimi antiquiores apud Dicastillo. ex RR. Toletus, Valentia, Vasq. Zetola, Pellantius, Sayrus, Reginaldus, aliique apud Dianam p. 1. tr. 7. resol. 1. item Card. de Lugo, Palao, Dicastillo, Pallavic.

Tertia Sententia esse posset, (quam videtur reipâ tenere P. Esparza,) quæ facit discrimen inter Circumstantias aggravantes. Aliquæ enim tenent se ex parte objecti ejusque reali extensione, vt: major vel minor quantitas rei furtivæ. aliæ vero tenent se vniç ex parte actûs, vt: major vel minor intensio actûs, major vel minor moralitas seu libertas, proveniens ex minûs vel magis clara cognitione motivorum absterrentium à peccato, aut allicientium ad illud: ac denique brevior aut longior duratio. Priores circumstantias vult esse confitendas, & quoad hoc convenit cum prima Sententia, & addit, illas non esse propriè circumstantias, sed pertinere ad substantiam actûs, adeo vt illis non manifestatis non sit manifestarum sufficienter peccatum, ratione scilicet æquivalentiæ quæ æquivaleret pluribus peccatis numero distinctis. Posteriores vero vult non esse confitendas, & hoc tribuit secundæ Sententiæ, atque has solas vocatas esse circumstantias aggravantes ab illis, qui tempore S. Thomæ & Scoti scripserunt. maxime autem adducit Alexandrum Alessem 4. p. q. 18. memb. 4. a. 3. In hanc Sententiam diu multumque conatus sum me resolvere; sed non potui invenire solidum fundamentum illius discriminis, sufficiens ad solven-

da argumenta occurrentia, & ad tenendam doctrinam consequentiam.

Quod attinet ad Alexandrum de Ales, non est hic Auctor pro P. Esparza; docet enim vniç, illas circumstantias, quæ transferunt ad aliud genus peccati, hoc est, quæ mutant speciem, non debere vocari circumstantias, sed substantiam actûs, de alijs nihil habet; & ait vniç, omnes circumstantias aggravantes esse confitendas non minûs quàm speciem mutantes.

1013. DICO 1. Non apparet clarum & solidum discrimen inter circumstantias tenentes se ex parte actûs, & tenentes se ex parte objecti. Itâ ceteri Authores; & quidem Suarez & Arriaga in terminis movent, sine inconsequentia non posse obligationem confitendi affirmari de posterioribus, & negari de prioribus: hoc solum discrimen agnoscunt, quod v.g. intensio actûs non soleat ita facile dignosci quandonam fuerit notabilis, & excedens communem peccandi modum; ceterum si advertatur, ajunt esse omnino explicandam.

Probatur Conclusio. Si esset aliquod discrimen, quare circumstantiæ pertinentes ad objectum actûs, potiùs pertineant ad substantiam actûs, & ideo essent confitendæ præ ceteris, esset hoc, quia qui v.g. furatur mille, licet non committat formaliter mille furta vnius floreni sufficientis ad peccatum mortale, committit tamen æquivalenter, hoc est, committit peccatum æquivalens mille furis vnius floreni, & ideo licet non debeat nec possit cum veritate dicere: commisi mille furta vnius floreni, potest tamen ac debet dicere: commisi furtum mille florenorum. atqui hæc ratio tota etiam procedit de circumstantiis primi generis, hoc est tenentibus se ex parte actûs: ergo utrobique est par ratio. Minorem probō per singulos circumstantias. & imprimis clarissimè de circumstantia durationis: nam singulorum instantium duratio æquivaleret actui mortaliter peccaminoso, & sufficit secundum se ad peccatum mortale. Secundò ostenditur in circumstantia intensiōis; & quidem si gradus sunt homogenei, clarum est quemvis gradum secundum se sufficere ad mortale, adeoque actum intensum vt quatuor æquivalere quatuor actibus. Si vero sint heterogenei, non propterea minuitur æquivalentia, cum secundus sit primo perfectior, & si seorsim poneretur, utique ad mortale sufficeret. Tertio ostenditur in circumstantia advertentiæ: majoris quàm sit illa quæ requiritur & sufficit ad mortale: nam & illa æquivaleret pluribus advertentijs, quarum singulæ sine reliquis sufficerent ad mortale.

Alia ratio discriminis assignatur ab alijs, & est hæc. Duratio, Intensio, & major præcognitio, sunt prædicata indifferentia ex suo conceptu ad actum bonum & malum, & perinde augent actum bonum ac malum.

Sed contra. Quando dicis esse indifferentia ex suo conceptu, vel loqueris de conceptu specifico illorum prædicatorum, vel de conceptu generico

generico & abstrahente à respectu & conjunctione ad talem actum in specie. Si primum, doctrina non subsistit: nam duratio, intensio, & claritas actus mali non potest inesse actui bono, ut patet. Si secundum, nihil est ad rem 1. quia secundum suum conceptum genericum nec sunt bona nec mala: ergo ut sic considerata non augent malitiam & gravitatem peccati: quomodo ergo sunt circumstantia aggravantes? 2. Eodem modo procedit tota ratio de circumstantiis spectantibus ad objectum: v.g. accipere mille, prout abstrahit à conceptu specifico furti, est prædicatum indifferens ad actum bonum vel malum; si enim accipio mille per modum mutui, vel doni, vel depositi, est actus bonus. Item occidere mille homines, abstrahendo à conceptu specifico occisionis factæ privatæ aut publicæ auctoritate, est indifferens, ut jungatur cum occisione honesta vel inhonesta. Item cognoscere plures faminas, abstrahendo à conceptu specifico fornicationis vel adulterij vel conjugis, est prædicatum reperibile in actu honesto æque ac inhonesto. Seposita ergo hac tertiâ & mediâ sententiâ,

1014. DICO 2. Probabilis est, non esse obligationem per se loquendo, explicandi circumstantias notabiliter aggravantes, antecedenter ad interrogationem Confessarij. Probat Concl. 1. ex Conc. Trident. sess. 14. c. 5. ubi cum dixisset circumstantias speciem mutantes esse confitendas, dixissetque, impium esse dicere, hanc obligationem esse observatu impossibilem, subiungit rationem: [constat enim, inquit, nihil aliud exigere, quam ut ea peccata quis confiteatur, quorum meminerit: [atqui hoc facit, qui confitetur numerum & species: ergo præter hæc nil exigitur. vel sic: Concilium ait, constare quid à fidelibus exigatur: atqui non constat exigere confessionem circumstantiarum aggravantium (cùm hoc sit valde controversum) ergo non exigitur. vel sic. Nihil exigitur, nisi quod constat exigere, sed non constat exigere confitendas esse circumstantias aggravantes: ergo non exigitur earum confessio.

Card. de Lugo putat posse eludi vim hujus argumenti, dicendo, per verba illa, *Nihil aliud*: non excludi circumstantias aggravantes, sed peccata quæ memoriæ non occurrunt: atqui circumstantiæ aggravantes occurrunt memoriæ, & sine illis non satis integrè explicatur peccatum.

Sed virgeri potest optimè ex can. 7. ubi quasi repetitur doctrina capituli 5. ibi ergo dicitur anathema neganti, *necessarium esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habetur, & NB. circumstantias, quæ peccati speciem mutant.* Ecce! prius loquitur canon de peccatis spectatis quoad substantiam, & ut formaliter distinctis à circumstantiis; & ne quis putaret hoc sufficere, addit doctrinam dogmaticam de circumstantiis, & solas illas exprimit, quæ speciem mutant: quæ additio esset inepta, si jam omnia ea, quæ ad con-

fessionem sufficiunt, comprehendisset illis verbis *omnia peccata quæ memoriæ occurrunt*. ergo etiam capite 5. quando dixit, *nihil aliud requiri quam confessionem omnium peccatorum &c.* alludit ad præterea verba de circumstantiis speciem mutantibus, quasi diceret, nihil aliud requiri, quam confessionem omnium peccatorum quoad substantiam, & circumstantias speciem mutantibus: ergo aggravantes ab obligatione excludit. Sanè si caput 5. cum canone septimo attentè conferatur, apparet vis argumenti.

1015. Confirmatur 1. Alioquin Concilium modo deceptorio locutum fuisset. Si enim Concilium absolute de circumstantiis tacuisset, censeri posset quoad circumstantias nihil voluisse determinare, sed scholis examinandum relinquere. At verò postquam Concilium expressè mentionem facere voluit circumstantiarum, & expressè unum genus circumstantiarum, scilicet, speciem mutantium, & de his solis dixit esse obligatæ confitendi, præbuit antem rationabilem interdicti, non exigere confessionem circumstantiarum aggravantium, id quod optimo exemplo declarat Irgo. Si enim diceret Concilium, esse obligationem confitendi peccata, quæ consumantur exterius, inferremus non esse obligationem confitendi merè interna. Adde ego aliud simile: si diceret Concilium, esse obligationem confitendi peccata ceræ, & nihil adderet de dubijs, sine hâc ratione concluderemus, non esse obligationem confitendi dubia.

Confirmatur 2. Et maximè ad hominem contra P. Esparza, qui quando agebat de attritione, an debeat esse ex motivo charitatis, partem negativam probavit ex verbis Tridentini, expremmentis totam turpitudinem peccati, & metum inferni, & nullam mentionem facientis motivitratitatis, addiditque regulam generalem his verbis, [Licet non habeat Concilium adjunctam expressè particulam exclusivam alterius motivi, ex sola consideratione turpitudinis, ex solo metu, &c. Perinde tamen accipiendum est, ac si ea particula expressè adjuncta fuisset: quia NB. dum aliud non exigitur, sufficienter excluditur necessitas cujusvis alterius, & quia in materia doctrinali ac dogmatica particularis æquivalere universali, ut fert axioma merito apud omnes receptum, alii enim vacillarent pleræque definitiones dogmaticæ, siquidem plerumque traduntur absque ejusmodi particulis exclusivis. Hæc ille: quæ procedunt in casu nostro: & sensus illius axiomatis est, quod quando Concilium aliquid requirit in particulari, perinde sit ac si diceret: Et hoc est notum, quod requiritur. Nisi aliunde evidenter contrarium constet, aut se declararet Concilium, quod de alijs nihil velit statuere. Hoc sibi vult etiam Regula vulgatissima Juris, quam deducunt DD. ex can. 4. dist. 25. *Inclusio unius est exclusio alterius & vicissim.* Alij aliter efferunt & dicunt, de dogmaticis, quando affirmatur unum esse necessarium,

sarium, & aliud taceatur, de quo etiam dubitari potest, de hoc negatur.

1016. Probatur Conclusio. 2. Adversarij non possunt tradere ullam probabilem regulam, & in praxi observabilem cognoscendi circumstantiam notabiliter aggravantem: sed sine hac regula sententia illorum est perniciofa potius, quam utilis, ergo, &c. Major probatur, & imprimis nullus adversariorum amplectitur regulam supra indicatam, quasi illa sit pars notabiliter aggravans, quæ secundum se sufficeret ad mortale propter in convenientia ibid. indicata. Itaque Suarez & post eum alij assignant in genere hanc regulam: quando scilicet illa gravitas excedit notabiliter ordinarium modum operandi tali modo circa talia objecta. v.g. Si supponamus unum florenum esse materiam gravem furti sufficientem & requiritam ad mortale, tunc non tenebitur fur explicare circumstantiam aggravantem, si duos florenos furatus est, quia, inquit, duo floreni non excedunt ordinarium modum furandi, utpote qui habet aliquam latitudinem, sitamen acciperet quinque florenos, tunc putat Arriaga esse sufficientem aggravationem, quæ explicari debeat, & à fortiori, inquit, si acciperet quinque cum dimidio, quia licet ille Medius non aggravaret notabiliter, aggravat tamen simul cum alijs respectu unius floreni, quem supponimus esse materiam supra quam cadit aggravatio.

Sed contra. Si ille medius florenus etiam explicandus est: ergo si fur vel unum tertium vltius acciperet, deberet etiam explicare, quod nemo alius dicit, sequela patet, quia vna cum reliquis etiam aggravat.

Ideo Suarez & alij aliter discunt, & dicunt, modum ordinarium furandi habere quandam latitudinem, intra quam non datur circumstantia aggravans explicanda, sed Confessarius potest illam totam præsumere; sint, exempli gratia, tres floreni: sed si hos notabiliter fur excedat, tunc esse circumstantiam explicandam; adeoque sicut florenus est materia gravis & notabilis, ita si ultra tres florenos adderet unum, excessus esset notabilis, & hunc deberet explicare, & sic deinceps.

Sed contra hoc bene vrget Dicastillo, quia falsum est, quod supponitur, dari aliquem terminum assignabilem furti ordinarij; nam fures furantur datâ occasione plus & minus, sine certo morali termino, & sanè in materia detractionis non capio ullam assignationem certi gradus famæ, qui communiter soleat lædi & non ultra. Præterea quæri potest, quomodo debuerint confiteri primi fures alicujus provincie, qui nihil sciverunt de communi consuetudine furandi?

1017. Probatur Conclusio. 3. Si Circumstantie aggravantes essent explicandæ, tunc etiam essent explicandæ alleviantes, v.g. quando peccatum sit ex summo metu, ex motu vehementis iræ provenientis ex iusto dolore, quando sit alte-

rius dolo, aut vehementi tentatione: consequens est contra praxin: ergo &c.

Ad hanc probationem diversimodè respondent adversarij. Scotus, Canus & Arriaga concedunt sequelam. contra quos rectè ostendit Lugo, sequelam esse absurdam, & contra sensum fidelium: quis enim dicat, maritum qui occidit ex summo dolore alium deprehensum cum uxore in adulterio, non rectè explicare suum peccatum, si præcisè dicat: feci injustum homicidium? quis talem obligabit ad denuò confitendum?

Alij ergo, quos sequitur Suarez, negant sequelam; & quidem Suarez varias dat disparitates, quibus utrumque satisfiat plurimum argumento, quo paritatem virgent. Sed non satisfiat argumento Lugonis, quod etiam placuit P. Dicastillo. Sicut enim non licet in confessione minuire aliquid ex materia quæ est necessaria ad integritatem confessionis (qualis per adversarios est circumstantia aggravans) ita non licet opponere aliquid pro materia absolutionis, quod non est materia idonea: atqui hoc faceret, qui circumstantiam alleviantem non exprimeret: ergo &c. Major est certa. Minor declaratur. nam tacendo illam circumstantiam, apponerem illam gravitatem quam peccatum defacto non habet, sed haberet si talis circumstantia non adfuisset: sicut tu ais, tacendo circumstantiam aggravantem, non exprimi omne id quod est materia necessaria confessionis.

DICES. Qui confiteretur homicidium præscindit ab illis circumstantiis: ergo satis exprimit suum peccatum, & dat materiam idoneam, modo in alterutro membro verificetur. R. Pari modo & nos dicimus. Qui confiteretur: *furatus sum magnam summam*, præscindit à floreno & mille: ergo satis exprimit suum peccatum, & dat materiam necessariam confessionis, quæ inest huic furto, in quocunque membro verificetur.

Solvuntur Objectiones.

1018. Obijciunt 1. Si Circumstantie aggravantes non essent confitendæ, tunc qui furatus esset mille vno furto, satisfaceret dicendo: furatus sum florenum. quia reliquam summam, utpote solum aggravantem, non tenetur dicere, & præterea furtum mille floren: est etiam furtum unius, adeoque talis confiteretur verè suum peccatum, & non aliud non commissum. R. Hæc formalitas: esse furtum mille florenorum: non est circumstantia aggravans respectu hujus formalitatis, esse furtum unius floreni tantum. sed respectu hujus: esse furtum unius floreni, cum præcisione an unius tantum vel plurium, quia cum priore formalitate non potest conjungi, cum excludatur formalissimè, sed cum posteriore. Porro qui diceret: *furatus sum unum florenum* speciatò communi modo loquendi, non significat conceptum præcisivum, sed limitativum & restrictivum; & ideo in rigore talis non esset confessus suum peccatum, quod non fuit furtum unius tantum

tum florenti: & sic negatur sequela: deberet ergo uti terminis significantibus furtum ut præcedens ab uno vel pluribus: v.g. furatus sum summam gravem. quæ verba sunt apta excitare in Confessario desiderium sciendi, quanta fuerit ea summa: hoc enim necessarium est, ut Confessarius possit interrogare, siquidem iudicet opus esse, ad cognoscendam sufficientem dispositionem penitentis, eumque debito modo instruendum de facienda restitutione; ad quam interrogationem habet Confessarius jus, & penitens tenetur tunc respondere, non quod illa explicatio sit materia necessaria ad valorem Sacramenti ut bene notavit P. Dicastillo, sed quia alioquin vellet impedire instructionem sibi pro salute animæ necessariam, & sic de novo peccaret, vel certe non haberet propositum sufficiens. Quod si penitens esset homo tam doctus, ut prudenter iudicare posset, se non habere opus ullâ instructione, & esset paratus ad omnia præstanda, quæ possent à Confessario dictari, non teneretur respondere, sicut contra si Confessarius hoc posset de penitente præsumere, non teneretur interrogare.

1019. *Objic. 2. Tridentinum sess. 14. c. 5. colligit, circumstantias speciem mutantibus & numerum peccatorum esse exprimendum, ex eo quod Sacerdotes hoc iudicium incognitâ causâ exercere non possint, neque aequitatem in penis imponendis servare, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent: atqui hæc ratio probat etiam de circumstantiis aggravantibus: ergo & hæc sunt confitenda. Minor probatur: quia huiusmodi circumstantiæ requirunt etiam impositionem gravioris penæ, & diversum iudicium in Confessario de statu penitentis.*

Respondetur. Si ratio Concilij evidenter eodem modo procederet de aggravantibus ac speciem mutantibus circumstantiis, Concilium negligenter egisset prætermittendo species aggravantes, exprimendo speciem mutantres. Respondetur ergo absolute, Confessarium non esse obligatum ad formandum perfectissimum & metaphysicè exactum iudicium de gravitate peccatorum, nec etiam ad imponendam penam mathematicè æqualem, ut omnes fatentur: ergo nec requiritur à penitente exactissima declaratio omnis gravitatis undecunque provenientis. Cujus ulterior ratio est manifesta, quia ut ibidem Tridentinum declarat, hoc Sacramentum ita institutum est, ut non esset carnificina Conscientiæ, & tamen requiritur examen valde diligens in omni specie & numero peccatorum, hoc enim à priori non est moraliter impossibile, nec admodum difficile homini habenti seriam curam animæ suæ. at verò exigere examen in omnes circumstantias aggravantes singulorum peccatorum, in homine præsertim habente multa peccata, esset res intolerabilis molestiæ, non solum in illis qui literas ignorant, nec adnotare possunt quæ in examine deprehendunt, adeoque post examen facil-

limè iterum obliviscerentur plurimum, & esset res infiniti laboris examinare tales in confessione de singulis circumstantiis aggravantibus, tenentibus se tum ex parte actus tum ex parte objecti, non inquam solum in illis illiteratis, sed etiam in literatis: & manifesta praxis reclamaret: quare licet de his non requiratur examen conscientie, in nec earum confessio, & consequenter licet pro his non imponatur penitentia commensurata, adhuc tamen explicatis speciebus & numero peccatorum, potest servari sufficiens æquitas in impositione penitentiae tam satisfactoriæ quam medicinalis. At verò si quis tantum in genere confiteretur dicendo: *Peccavi*: tunc non haberet Confessarius ullum fundamentum imponendi diversas penitentias, sed posset & deberet imponere eandem omnibus, hoc autem infallibiliter teneret secum inæqualitatem summam, vel enim imposeret illam, quæ correspondet minimo mortali, & tunc qui essent gravissimi peccatores sine ulla proportionem punirentur: si illam quæ gravissimis peccatis debetur, intolerabiliter gravarentur leviores peccatores. Medicinalis penitentia nullum locum haberet, ubi species peccatorum non cognoscerentur. Et in hoc consistit æquitas huius Sacramenti.

1020. *Objicitur 3. Vnum furtum decem aureorum, continet totam malitiam & gravitatem quam continent decem furta, singula vnius aurei: ergo si in hoc casu est explicandus numerus, in priore casu erit explicanda gravitas. Quomodo hoc argumentum retorquendum sit, jam supra dictum. 2. Negando paritatem. Non enim numerus est exprimendus præcisè propter gravitatem, sed quia alioqui si tantum in confuso diceretur: *blasphemavi aliquoties*, sciens me decies blasphemasse, non confiteretur omnia & singula peccata cum ea certitudine, cum qua existunt in conscientia.*

1021. *Objiciuntur 4. Varij Canones, quibus videtur declarari huiusmodi obligatio. Ad illos optimè respondet Vasquez & Dicastillo, illis nimium probatum iri, quia aliqui loquuntur de circumstantiis quæ ne quidem inducunt rationem peccati, saltim non mortalis, ut si maritus cognovit conjugem gravidam, aut tempore festivo, &c. 2. Ergo, olim quidem fuisse in vii. vo, &c. 3. Huiusmodi circumstantiæ aperirentur, & etiam penitentiae imponerentur, non quod hoc esset de necessitate Sacramenti, sed quia tunc terrebatur Charitas Dei & humilitas.*

*Objici solet ultimum. Ergo qui vno impetu occideret decem homines, satisfaceret dicendo: *Occidi*, non explicando numerum. De hac difficultate dictum est in tract. de Peccatis, quod pertinet. Eam hoc loco tractat admodum accuratè P. Antonius à Spiritu S. disp. 7. sect. 1. In præf. non habet magnam utilitatem quidquid dicatur hoc puncto, in quo est mira dicendi varietas apud DD. Multi enim dicunt, illum numerum occul-*

gant. Mihi certum est, quod pœnitens non satisfaceret dicendo: *occidi*. quia deciperet Confessarium, qui non nisi vnius hominis necem supponeret, quia hic est communis modus significandi per illam vocem. Quodli ergo dicat, se plures occidisse vno impetu, nemo Confessarium est, qui non agnoscat obligationem interrogandi numerum. Disparitas autem cum furto est,

quod numerus occisorum non ita coalescat in vnum, sicut plures quantitates pecuniarum eidem domino ablatae. Sed de hoc videatur citatus Author, & P. Andreas Mendo differt. 2. q. vn. & apud hos alij citati, quorum infinitas replicas non vacat huc referre, ob exiguum huius quaestionis vtilitatem, vt dixi.

CAPVT IX.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

CONTROVERSIA VNICA.

An collatio Ordinis sit etiam immediata collatio Iurisdictionis.

1022. **C**ertum est 1. Solos Sacerdotes esse Ministros idoneos ad absolvendum, vt habetur in Trid. sess. 14. c. 6. & ideo non possit nunc tollerari sententia Magistri in 4. dist. 17. a. 3. cui quidem videtur accessisse S. Thomas q. 3. a. 3. quæst. 2. his verbis. [Sicut Baptismus est Sacramentum necessitatis, ita & Pœnitentia. Baptismus autem habet duplicem Ministrum, vnum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet Sacerdotem, alium cui ratione necessitatis dispensatio baptismi committitur, & ita etiam Minister pœnitentiae, cui confessio facienda ex officio est Sacerdos, sed in necessitate etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, vt ei confessio fieri possit.] Obijci possent quædam verba Cypriani l. 3. ep. 17. [Si quis, inquit, oppressus infirmitate non potuerit expectare adventum Sacerdotis, reconcilietur per Diaconum, factâ prius confessione.] Verum Cyprianus loquitur de quadam reconciliatione externâ seu in foro externo, quæ tunc erat in vsu, & fieri poterat per Diaconum.

Certum est 2. Sacerdotem in ordinatione sua accipere potestatem quandam saltim incompletam, & omnino requisitam ad absolvendum sacramentaliter, quæ potestatis collatio significatur per verba, *Accipe Spiritum Sanctum &c.*

Certum 3. Iurisdictionem absolutam & expeditam ad absolvendum, aliquo modo distingui à potestate Ordinis, tanquam totum à parte. Nam potestas Ordinis potest existere sine potestate Iurisdictionis, sed non e contra. Omnes enim Sacerdotes habent potestatem Ordinis, non tamen hoc ipso habent Iurisdictionem expeditam in omnes Christianos, & omnia peccata eorum: debent enim aliqui prius approbari ab Ordinario, vel consequi Officium, cui sit connexa ordinaria

Iurisdictionis, cæteris verò debet Iurisdictionis delegari. Imò in aliquo sensu potest dari potestas Iurisdictionis sine potestate Ordinis, non quidem Iurisdictionis absolventi per se, sed per alium à se delegatum, vt si quis eligitur in Episcopum, vel consequitur beneficium curatum, & necdum habet ordinem Presbyterij.

1023. Controversia est, an quando conferatur potestas Ordinis, etiam conferatur potestas Iurisdictionis, saltim inchoata vel conditionalis. In qua sunt tres Opiniones, quarum priores duæ non differunt nisi in modo loquendi, tertia verò differt reipâ.

Prima ergo Sententia docet, conferri etiam tunc Iurisdictionem, sed cum quadam indeterminatione subditorum & causarum, hoc est, nullos determinando subditos & peccata, & ideo non potest illa Iurisdictionis exire in actum, nisi prius designentur certi subditi, aut peccata. id quod Vasquez conatur explicare exemplo quorundam Tribunalium. Itaque Pontifex vel Episcopi postmodum designando certa genera peccatorum, alijs reservatis, item designando certos homines, faciunt, vt Iurisdictionis in Ordinatione accepta possit exercere actum Iurisdictionis.

Secunda Sententia differt à prima præcisè, quod hanc designationem & determinationem velit vocandam esse veram collationem Iurisdictionis, & sic ait Iurisdictionem differre à Potestate Ordinis, quæ aliud non est quàm capacitas Iurisdictionis.

Tertia est P. Arriaga & Esparza: per Ordinationem conferri immediatè Iurisdictionem in omnes omnino homines, & omnia peccata, sed sub conditione, non quidem sub conditione designationis, sic enim coincideret cum prima Sententia, sed sub conditione hac: nisi à Pontifice